



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vita Venerabilis Yolandae Priorissae Ad Mariae Vallem in Ducatu Luciliburgensi**

**Wiltheim, Alexandre**

**Antuerpiae, 1674**

Cap. IV. Godefridus Comes Viennensis cum Vxoribus Aleidâ & Lutgardâ,  
liberisque eorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11873**

MARGARITA, nupta Arnolfo Comiti Loffensi, quam anno 1280. factis tabulis dotavit, exhibetque tabulas idem Butkenius.

## CAPUT IV.

*Godefridus Comes Viennensis cum Vxoribus  
Aleidâ & Lutgardâ, liberisque  
eorum.*

**I**Am anno 1270. exstat eius nomen in tabulis, ut suprâ dictum.

Anno 1279. cum controversia fuisset inter Henricum Bellacostanum, & Abbatem Prumiensem, eamque composuissent Alexander Brunishornius & Gerardus Blankenheimius, factum laudavere Henricus Luciliburgensis, & Godefridus Viennensis Comites. Ex tabulis.

Anno 1285. VII. Idus Iunias, Maria Godefridi mater, defuncto marito Philippo, filvam Marbaissiam clientelæ nomine ei tribuit. Tabulis ceram Godefridus cum Philippo fratre appendit, notatam Parmâ Perviciacensi cum hoc titulo. S. *Godefroi de Viane*. Butkenius edidit tabulas.

Scripsit hoc anno Iacobus Bretexius de ludis equestribus habitis antè arcem Caluenciensem in Provincia nostra, præsentem Comitem Luciliburgensem cum coniuge, multisque proceribus. Meminit inter alios Comitis Viennensis, eumque narrat

narrat in certamen descendisse primum. Exstat liber eius, manu exaratus, in bibliotheca Chiffletiana, rhythmis vetustis Gallicis in arce Salmenfi, vivente Henrico Comite, compositus. Hunc Comitem Viennæ, fuisse Godefridum nostrum, & res & tempora postulant.

Anno 1288. interfuit Godefridus celeberrimo prælio ad Buruncum, sectatus partes Ioannis I. Ducis Brabantiæ. De eo nuperus poëta anonymus, qui rhythmos de illa pugna à scriptore coætaneo lingua vetere Brabantica compositos vertit.

*Comitemque Viandæ*

*Gotfredum retinet; qui Perweis stemmatis arma,  
Vexillo elato, iam morte exstincta, resumpsit.*

Anno 1292. pactum mutui foederis iniit cum Ioannè Brabantiæ Duce, die Lunæ ante festum diem D. Pauli. Butkenius tabulas emisit.

Anno 1294. die Veneris post SS. Trinitatis solemnes ferias, ratum habuit, quod avus Henricus, atque avia Margarita, consentiente Philippo filio Godefridi patre, donavêre Trinitarijs Viennensibus Mettendorffium & Daleidam, ut ex tabulis autographis habeo. Patris hæc tabulas Philippus filius cera appensa probavit.

Anno 1296. clientem se Ioannis II. Brabantiæ Ducis profiteretur Hingenensium decimarum causa. Factæ tabulæ die festo SS. Trinitatis, quarum exemplar est in Butkenio.

Anno 1297. cum immemor assertarum à se  
antè

antè quadriennium Trinitarijs Viennensibus parœciarum Mettendorfiæ & Daleidanae, curatorem ijs parœcijs, ceu patronus, constituisset, monitus, nullum esse ei ius patrocinijs, factum revocavit, editis tabulis die Veneris post solenne SS. Trinitatis.

Anno 1299. vendidisse Godefridum Guidoni Flandriæ Comiti Ninhoviam, auctor est Butkenius.

Anno 1303. est primus arbiter pacis cum Ioanne Cuickio & alijs, inter Ioannem Brabantiae Ducem, & Bertholdum Mechliniae Dominum. Tabulas habet Butkenius, editas die Sabbati antè ferias D. Lamberto sacras.

Obijt Godefridus anno 1312.

Uxores duxit, primam Aleidam ab Aldernardâ, mortuam anno 1305. Tum Lutgardam de Ligny, Fleruti Dominam, cuius exstant in archio Luciliburgensi tabulae anni 1318. quibus se inscribit Dominam de Ligny ad Flerutum, uxorem Godefridi Comitis Viennensis & Domini Grimbergæ. Testatur autem soluta sibi à Ioanne Bohemiæ Rege duo debita, quæ pater eius Henricus Imperator apud maritum suum contraxerat, primum pro 319. libris & semuncia argenti fabrefacti: deindè pro argenti signati libris mille, ac denique ex triente pro LX. arcubalistis, longis pedes duos. Credibile est ista comparasse Henricum, cùm ad Imperium evectus, militari ceteroque Augustali apparatu se communivit.

LIBERT

LIBERI GODEFRIDI  
EX ALEIDA.

PHILIPPUS. In tabulis paternis anno 1294. memoratur, ut suprā dictum.

Anno deindè 1306. die Veneris post annum solenne decollationis S. Ioannis, titulo *Primogeniti*, spondet Henrico Comiti Luciliburgensi, ei qui ad Imperium est evectus, se Viennam ab eo clientelæ nomine more maiorum suscepturum; id quod eodem anno, die Lunæ antè festum diem D. Andreae prestitit, hoc addito, se ubi statum atque conditionem (quippe etiam tum vivente Godefrido patre) una cum sigillo mutaverit, cuncta iteratò probaturum, his interim tabulis sigillo suo privato proprioque signato.

Anno 1308, titulo *armigeri* vivente adhuc patre, Viennensibus oppidanis, ius, libertatem atque immunitatem more maiorum dedit, ad exemplum civitatis Trevirensis. Excepit tamen, fas sibi fore, aut belli, aut nuptiarum liberorum suorum, aut, quod Superi evenire nolint, captivitatis suæ causa, moderata ratione subsidium exigere pecuniarium. Tabulæ factæ Viennæ antè ferias D. Catharinæ dicatas, easque cum Henrico Abbate Prumiensi, Gerardo Bellacostano, Frederico Novocastrio, Sugero Burcheitano equitibus, & Theodorico Brandenburgico armigero, æris appensis obsignavit.

Anno

Anno 1312. unà cum coniuge Aleida, donavit Trinitarijs Viennensibus pratum. Conditæ tabulæ postridiè Kalendas Ianuarias.

Cum eodem anno Waltherus Wiltzius, vir equestri apud nos origine, Henrico Baufortio, viro quoque equestri, Lincerium prisca gente & arce nobilem locum, vendidisset; Philippus pro Wiltzio cavit, ut ex tabulis tradit V. A. Eustachius Wilthemius Præses.

Eodem anno, V. Kalendas Octobris, adfuit Cortebergæ in Conventu Principum virorumque nobilium, habito à Ioanne II. Brabantiae Duce, ut ex priscis tabulis tradit Christophorus Butkenius.

Anno denique 1315. donavit Trinitarijs Viennensibus, unà cum coniuge Aleyda, campum Dieffendallensem vineæ instruendæ, cum censu libræ ceræ annuè sibi pendendæ die festo D. Remigij. Scriptæ tabulæ mense Aprili.

Qui eum anno Millesimo trecentesimo duodecimo obiisse tradunt, videant qua id ratione defendant, contrà pugnantibus tabulis suprà dictis.

Coniugem duxit Philippus Aleydam quam dixi Arensbergicam, nullis ex ea procreatus liberis.

GODEFRIDUS, quem gentis propagatorem postea dicemus.

HENRICUS anno 1316. titulo *Domicelli Comitis Viennensis*, rogato ab Arnoldo de Pittinga Nobili

Nobili Viro, & Seneschallo seu Gubernatore Luciliburgensi, ut Ioannis Bohemiæ Regis militem susciperet, paruit ad breve tempus, sed deindè renuit. Unde equestris Ordinis sententiâ condemnatus est. Ex tabulis archij Luciliburgensis.

Anno deindè 1325. cum Gerardo de Ham consanguineo suo, varijs de rebus controversis iniit concordiam. Tabulas cum eo signavit Fridericus Novocastrius, qui *avunculum* suum eum nominat. Tabulas vidit idem V. A. editas pridè festæ diei Ascensionis Domini Nostri, appensâ Henrici cerâ, notatâ Perviciacensibus insignijs.

Anno tandem 1330. cum Fridericus Cronenburgus eques tabulas ederet dotalitias Annæ de Heu sponsæ suæ, Henricus eiusque clientes Hermannus Brandenburgus, Holfeltzius, Waltherus Meisenburgus, Clarevallanus, Simon Fischbachius, Conradus Durdillius, Henricus Bettendorfius, viri equestres, ceras rogati tabulis apposuerunt, quas vidit idem V. A.

Obijt Henricus sub annum 1351. Uxor ei fuit Margarita Falcomontia, Domina oppidi S. Viti, Butgembachij & Dasbergi, ut Butkenius tradit.

LIBERI GODEFRIDI

EX LUTGARDA.

LUDOVICUS, Canonicus Leodiensis, Præpositus

242 *Genealogia Historica, veterum Comitum*  
positus Monasteriensis, cæsus à Wilhelmo Co-  
mite Namurensi.

IOANNES, Canonicus ad D. Lamberti  
Leodij.

LUTGARDA, nupta primùm Warnero  
Daulensi, tùm Ioanni Sombressæ Domino, quæ  
omnia idem Butkenius.

## C A P U T V.

*Godefridus Comes Viennensis,  
& liberi eius.*

**V**Xorem duxit Mariam Flandram, Comitissæ  
Namurensis filiam. Profectus in Cyprum  
ibi anno 1335. diem obiit, ut Butkenius aliique.  
Itineris eius meminit in hodoeporico suo Hildol-  
fus; quod hodoeporicon manu exaratum, & Bal-  
duino de Steinwordiâ, Episcopo Paderbornensi  
dicatum, vidi antehac in Bibliothecâ Patrum  
Dominicanorum Luciliburgensium. Fuit is Hil-  
dolfus *Rektor Parochialis in Suthen*, & anno 1336.  
in Palæstinam Profectus, inde rediit anno 1341.  
Ita autem scribit. *Item meis temporibus in Cypro mul-  
ti nobiles, Barones & Milites de partibus Alemannie  
discesserunt, scilicet Comes de Vianden, & Comes de  
Schwertzenburg, & Dominus de Sle, & Dominus de Luch-  
zensteine, & alij quam plures.*

Godefrido, ex Uxore Mariâ, filij fuere nulli,  
sed filia.

G O D E.